



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XXII. De Origine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXII.

D E

Origene.

**O**Rigenes genere Ægyptius, Alexandria natus & educatus, Patris suo Sancto Leonidi Martyri in carcere junctus, flagrans quoque desiderio Martyrii, ab ipso aliter persuasus, ac per matrem avulsus, ægrè servatus, omnibus bonis spoliatus, cum sex aliis, natu minoribus, fratribus suis, atque inope matre sustentatus à quadam opulenta matrona, adolescens ludum aperuit. Sacras quoque literas tradere & interpretari exorsus, omnibus admirationi fuit. cultus Evangelicæ paupertatis, abstinentia, chameuniæ, rara pietas cum maxima humilitate conjuncta vitæ sanctimoniam comprobârunt. Zelus in eo animarum ingens, hæreticorum odium pugnax, quos perpetuè & ubique insectatus fuit. Variarum linguarum cognitione apprime excultus, insigni eloquentia præstabilis, eruditione incomparabilis magnam nominis sui celebritatem & vivus obtinuit, & mortuus posteris reliquit. Fertur apud Epiphanium hæres. 64. scripsisse sena millia librorum de vario disciplinarum genere. Verè, si quis alius Polygraphus.

*Librorum tot millia scripsit.*

*Quot legio missos mittit in arma viros.*

Merito condictus ADAMANTIUS, quod plurima volumina infracto pectore composuerit, legerit, explicaverit: seu, quod rationes per ipsum congestæ adamantinis quibusdam vinculis non absimiles videantur; quemadmodum probabiliter conjecturare licet, obinde illud nomen illi obvenisse: quanquam Epiphanius citatus velit, quod Origenes homo evaporatus, & plenus sui ipsius, credens neminem ad suam capacitatem pervenire, vanè sibi ipsi id nominis imposuerit. Constat interim, quod laboribus perpetim mancipatus, studiis ac lucubrationibus addictissimus, aëris intemperiem, verbera, catenas, carcerisque squallores heroica fortitudine tolerans, etiam in sævissimis persecutionibus ac variis profectioibus studio sacrarum literarum indefessè incubuerit; ideòque dictus CHALCENTERUS, id est, æreis intestinis præditus, ut olim Didymus Grammaticus, apud Quintil. appellabatur. Ævo suo, ac cunctis retrò sæculis, in veneratione maxima habitus. à S. Athanasio Lib.

E e

de



de *Syn. Nic. Decr.* vocatus. STRENUUS, à S. Pamphilo Martyre MAGISTER ECCLESIÆ, à S. Gregorio Nicæno SANC-TUS, à S. Hieronymo COS THEOLOGORUM, ex Didymi videntis sententiã ALTER POST APOSTOLOS ECCLESIARUM DOCTOR ET INSIGNIS FIDEI CONFESSOR nuncupatus. Nihilominus cûza tantus, imo major esset quàm haberetur Origenes illius actiones & lucubrationes sunt pomum Eridos: Quandoquidem sicut olim ita & nunc in famosam eruditorum insimulationem vocantur, multarum Controversiarum objecta. *Semper de Origine* (inquit Trithemius *Lib. de Script. Eccles.*) *fuit varia Doctorum opinio; quibusdam hereticum asserentibus; aliis sibi fraudem affirmantibus impositam.*

Atque imprimis, quantum ad actiones; illa, de suimet eviratione, in disceptationem venit. Non quidem an facta sit (de eo quippe, quod Origenes cantherino ritu, ut Plautus in Menah. loquitur sese absciderit, Scriptores conveniunt) neque de modo, quo factum sit (de quo diversas suo tempore opiniones fuisse Epiphanius scribit) ferrone, ut Eusebius insinuat, Novaculã, quod Hieronymo visum, emplastris; seu, ut Huctius vult, cicutã, quam Athenienses hierophantas ad compescendum libidinis Oestrum adhibuisse, ipse Origenes prodit *Lib. 6. cont. Celsum.* Sed agitur quæstio de jure an scilicet Origenes licitè, & sine noxa, sese enuchizaverit: quod quidem propriè ad historiarum non spectat institutum inquirere: eam tamen discussionem Baronius *Annal. tom. 2. ad annum Christi 230.* suscepit, alii-que profecuti sunt. Demetrius Episcopus Alexandrinus, & alii nonnulli ex antiquioribus, quos Cardinalis sequitur, illud factum reprehendunt ob has quidem rationes.

I. Quemadmodum nullus mortalium est vitæ suæ Dominus, ita neque membrorum

suorum. Dum ergo intrinsicè malum est, & jure naturali prohibitum, ex intentione directa sibi met vitam adimere, vel etiam abbreviare: sic nefas esse dignoscitur corpus mutilare, membrumve aliquod citra extremam necessitatem adimere. Fuit proinde Origenes sceleris obnoxius, dum seipsum, quod nulla necessitas requirebat, executione testium mutilavit.

II. Inter cætera delicta, quæ irregularitatem inducunt, recensetur ex ordinatione Ecclesiæ notabilis sui mutilatio, ad eoque illam hoc facto probroso Origenes incurrit. Nam quod ipsemet fecisset, & non ab alio invitatus passus esset, hinc eum lex divina & Ecclesiastica constitutio repellebant tam à suscipiendis sacris ordinibus, quàm ab eorum functione; sicut post temporis intervallum cuidam Leontio accidit, quem Socrates *Lib. 2. cap. 11.* refert depositum à presbyteratu fuisse, quod sese eviraret, quemque ea de causa nec Laica quidem Communionem dignum fuisse Sanctus testatur reliquit Athanasius. Pariformiter ibidem in Ægypto Monachi, ut legitur *in vi. SS. Patrum*, sui mutilatores à Theophilo Alexandrino Episcopo fuerunt excommunicati, atque ab omnibus Præsulibus orthodoxis excommunicati. Porro Canones Apostolici jubent clericum, sibi virilia amputantem, velut homicidam haberi, & deponi. Et Deuteroc. *cap. 22.* legitur. *Non intrabit Eunuchus atritis vel amputatis testiculis, & abscisso retro Ecclesiam Domini.*

III. Origenes plurimos quidem in vita habuit sui veneratores, qui proinde evirationem Zelo Dei adscribebant: ast qui penitus rem considerârunt, rectè senserunt, quod zelus ille non fuerit conformis rectè rationi, nec secundum scientiam Sanctorum, qui nequaquam imitabilis, potius pluribus celsè ferit in scandalum; quando Valelii, infames hæretici, nullum in suam admittebant sectam, nisi, ad exemplum Origenis, prius fuit



fuit factus eunuchus. De quibus S. Epiphanius *haeres. 58.* Origenem pariter perstringens, merito scribit. *Qui ob proclivitatem ad opus venerum, se temere castrarunt, hi ab omnibus se reprobarunt ac abalienarunt.*

Nihilominus Origenis exfectionem omnino carere culpa tum Eusebius istorumque temporum Patres, tum moderni non infimi subfellii Scriptores tueri conantur. Hos inter praecipuus, & ex professo Petrus Halloix è Soc. Jesu quorum sanè argumenta non sunt contemnenda.

I. Origenes tempore vitae suae innumeros ferè lenit sibi adversantes. *Affidua quippe est eminentis fortuna comes invidia altissimisque adhaeret.* Ait Vell. Patercul. *Lib. 1.* Nemo autem inimicorum suorum, etiam, qui stylo mordaci dicam, inscripserunt, aut alio quovis modo hunc virum insectati sunt, hoc factum perstrinxit, aut in eo tanquam minus rectum sugillavit, illive oggestit: quod utique non intermisissent invidi. *Qui vitioso oculo vident, quae vident, & confusi caligine nequitia in id cadunt, ut minus videndo plus videant,* inquit Paulus Orosius *In ormesia Lib. 4.* Quin Demetrius factum Origenis approbavit; licet postea ardore quodam emulacionis, quemadmodum Eusebius *H. E. Lib. 6. cap. 7.* observat, ut criminofum divulgare tentaverit. Ipsemet Eusebius ex animi magnitudine, quae juxta S. Thomam *2. 2. q. 123 a. 3.* virtus est tendens ad maxima secundum rectam rationem, Origenem sese castrasse cenlet. Sanè Alexander Episcopus Hierosolymitanus, Theodotus Episcopus Caesarensis, viri prudentia ac eruditionis laude in toto Oriente celeberrimi, exfectum Origenem ad sacrum presbyteratus Ordinem nunquam admisissent, si exinde culpabilem agnovissent.

II. Quod Origenes hic fecit, bona intentione peregit. Atqui, ut scitè Tullius. *Quo animo quisque faciat, non quo casu utatur,*

*ad rem pertinet.* Et, juxta tritam Theologorum parœmiam, Intentio judicat actum, non quidem intrinsecè malum reddens bonum: attamen, si operans illius non apprehendat malitiam, & inculpabiliter ignoret, ut supponendum in Origene, tunc hujusmodi actus, specie honesti obrectus, ex Doctorum communi sententia, peccati expertus erit. Quod si Origenes in ea actione quidquam mali suspicari potuisset, aut de licito dubitasset; dolores vitaeque periculum sibi minimè adscivisset: quin potius, cum de triplici eunuchorum genere *Matth. cap. 19.* legisset textum interpretatus ad literam, sese propter regnum caelorum castravit; id est, spe consequendae exinde caelestis gloriae praemium, voluit concupiscentiae fomitem mitigare. Qua ratione ducti, & Spiritus Sancti instinctu moti quidam, etiam in classem Sanctorum relati, de quibus apud Hieronymum *in vit. Paul. Erem.* sibi linguam, aures, oculos, imo & vitam adimerunt; ut vel sic à gravissimis tentationibus sese expedirent, & animam perdendo lucrifacerent. Ubi locum habet insigne S. Augustini pronuntiatum *Epist. ad Publ. Desinunt esse peccata, quae propter graviora vitanda suscipiuntur. Sicut etiam in rebus utilibus non vocatur damnum, quod propter majus lucrum admittitur, ne gravius admittatur.*

Hoc modo Origenis prostratae conantur refectionem illam fuisse inculpatam posteris persuadere, primumque in contrarium argumentum dissolvere. Neque secundum, quod est Baronii, stringere putant: eo quod exemplum Leonii plurimum differat à facto Origenis. Ille siquidem postquam idolis sacrificasset in persecutione Diocletiani, & quandam juvenulam Eustolium idololatram impotenter deperiret; ut conversus sine suspitione cum ea habitare posset, castratione sui, id efficere voluit: sed propterea ab Eustatio Patriarcha Antiocheno degradatus ad Arianos confugit, à quibus violenter Sed



Antiochenæ intrusus fuit. Quandoquidem autem Nicænum Concilium C. 1. in clero constitutum se ipsum castrantem officio abstinere jubeat; & C. 3. Agapetarum contubernio clericos abstinere præceperit, meritò hæc pœna Leontio inflictæ fuit: cum Origenis tempore nulla Lex Ecclesiastica prohibitive extiterit. Canones Apostolici, qui obtenduntur, nonnisi post Origenis tempora evulgata fuerunt. Atque Canon 22. ex Moïsaicis Sacerdotibus occasionem sui dedit. Exat quidem *Deut. 23.* Lex de Sacerdotibus castratis, sed illa cæremonialis censetur. Igitur à Baronio hîc recedit Nat. Alexander *Sac. 3. Dissert. 15.* negatque evirationem Origenis Canonicum fuisse ordinationis Sacræ impedimentum, culpans Demetrium, quod ob id facinus Origenem infectatus fuerit.

Tertium Argumentum Stupeum videtur; quandoquidem plura legantur Sanctorum acta, admiranda potius, quàm imitanda; atque secundùm se spectata, etiamsi non usque adeo rationi congrua appareant, ex alio tamen capite & circumstantiis minus fortè perspectis, excusabilia. Valesiorum seu Eunuchorum secta nequaquam ab Origene sumpsit Origenem, sed ut Epiphanius *her. 58.* prodit, à Valesio Arabe, qui suos, etiam invitos, castrabant, aliosque, quos deprehendebant viatores hoc modo violenter sibi associare volebant: Ea Evangelii doctrina secundùm literam Forinsecus apparentem perperam intellecta, *Si oculus tuus scandalizat te erue eum, &c. &c.* Et sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt, &c. Hoc autem Valesios fecisse, imitando exemplum Origenis, neque Epiphanius, neque veterum ullus tradidit, sed conjecturat Baronius l. c. & ad an. 249. n. 9. Quomodo autem Eusebius excusando Origenem ob sinistram textus intelligentiam planè hunc ejusmodi sectæ Authorem constituat, quemadmodum Cardinalis prætendit, nemo facile assequi

poterit. Licet enim illi sic esse Evangelium intelligendum putaverint, non legitur tamen, quod exemplo Origenis fuerint inducti, ut sic interpretarentur.

Alterum; quod de Origene in disputationem vocatur facti est quæstio. An scilicet turpissimi dedecoris horrore thus idolo sacrificaverit, aut saltem ita se gesserit, ut obtulisse vulgò crederetur. Id, quod passim circumfertur hoc modo gestum. Origene jam presbyter Gentilibus invisus, eò quod scriptis ac prædicatione indigetes oppugneret atque idolorum inanitatem demonstret, ab his Alexandriæ detentus, & reclusus ut utrumlibet eligere compulsus sit, aut deo sacrificare, aut æthiopis pygisti in pambulo esse pathicum. In qua perplexitate ipse præelegit adolere. Deinde cum in Palæstinam profugus Hierosolymam venisset, atque à Sacerdotibus ad dicendum coram populo instigatus fuisset, in cœtu Christianorum librum aperiens incidit in Psalm. 49. legiturque v. 16. *Peccatori autem dixit Deus. Quare tu assumis testamentum meum per vitium, &c.* complicatumque librum reddidit & præfatum lapsum suum effulsu ubertim lachrymis confessus fuit, collachrymantibus omnibus, quotquot præsentibus aderant. Hanc historiam esse veram testificantur Zonaras, Suidas, Nicephorus *lib. 5. cap. 12.* Justinianus *Epist. ad Mennam.* Ex Recentioribus adstipulantur Dionys. Petav. *Anmadv. in Epiph.* Huetius *in Orig. Nat. Alexander Hist. Eccles. sac. 3. Dissert. 3. &c.* quorum fundamenta sunt.

I. Origenes *Lib. de Lamentat. seu de penitentia* confitetur se invitum cecidisse & graviora commisisse scelera, quàm Samson & Salomon commiserant. Nequit verò aliud peccatum assignari, quàm idololatria, quod sit gravius, quàm illud, quod Salomon & Samson patrârunt, qui & ipse in gratiam concubinarum suarum idola coluit: ergo hujus nefandissimi sceleris, quod, docente Basilio, est



est omnium malorum extremum, Origenes se reum dixit, de quo doluit.

II. Antiquissimi Patres, qui haud diu post Origenis tempora vixerunt, referunt eundem simulachro incensum adolevisse. Nam Sanctus Epiphanius prophetiæ ac miraculorum gloriâ illustris *heres. 64.* id ipsum perhibet hisce verbis. *Per Diabolicam verò malignitatem excogitaverunt malitiæ operatores, quomodo turpitudinem talem excogitarent, & plagam talem decernerent: ita ut in abusum corporis ipsius Æthiopem ipsi subornarent, aut sacrificare juberent. Ipse verò non ferens diabolica fraudis versutiam, proclamavit utrisque rebus ipsi propositis, sacrificare se potius velle. Non tamen spontanea mente hoc potius perfecit, velut magna de hoc fama refert. Sed quandoquidem omnino confusus est, se facturum hoc esse, injecto in manum ejus thure ipsum ad aræ rogum adduxerunt.* Deinde Theophylus Alexandrinus Episcopus Epiphaniò æquævus, quem Leo Magnus *Epist. 64.* Sanctæ memoriæ Episcopum vocat, *Epist. 2. de celeb. Pasch.* meminit Origenem thus derestando sculptili obtulisse, & ob ipsum vocat Jeroboam idololatram. Alii quoque Scriptores suppares in Palæstina, Ægypto, & potissimum Alexandria viventes deorum simulachra ab Origene honoribus culta testatum reliquerunt: ut patet tum in positione Synodicæ Epistolæ Episcoporum Ægypti & Alexandria, tum in Bibliotheca Patrum, &c.

Figmentum illud esse de Æthiope Origenis, & ad stuprum admotione, & thuris oblatione prælata, tacite sentiunt antiqui, & expressè enuntiant Baronius, Raynaldus, Valerius, Halloix, Tillemontius, pluresque alii eruditissimi rationibus sat firmis persuasi, quod in Epiphaniî librum citatum (unde narratio primùm exorta) hujusmodi ab aliquo Origenis hoste, fuerint intrusa.

I. Eusebius Pamphili, cui notissimæ fuerunt res Origenis, quas posteritati commen-

davit, meminit quidem evirationis, neutiquam thurificationis, quæ, utpote Alexandria orbis Theatro peracta, regi non potuisset, neque ulla arte per eum premi; quin non ab Hieronymo aliisque postea Scripioribus, ob affectatum hoc silentium reprehensus fuisset. Quod si etiam Eusebii tempore vel tenuis de facto hoc rumor divulgatus fuisset, is, qui tantopere Origenis hallucinationes excusare molitus fuit; ad hanc calumniam ab eo refellendam nihil prorsus omisisset. Pariformiter, quotquot pro Origene Apologias scripserunt, Pamphilus, Rufinus, &c. &c. conati sunt ab infamia hæresis illum immunem reddere: de idololatria nullus eum excusare nititur, quia nemo incusaverat. Levissima autem conjectura aut fama suffecisset inimicis, ut crimen hoc Origenei objecissent, qui, teste Epiphaniò, propter eminentissimam Sanctitatem & doctrinam ad multam invidiam devenerat. Idem *Lib. de mens. & pond.* perhibet hunc virum floruisse, id est per omnium ora, velut gloriâ immortalem voluisse, à Decii tempore usque ad Gallum & Volusianum Impm. quod falsum foret, si, quod ajunt, in persecutione Decii diis immolasset.

II. Factum refertur Alexandria Decio Imperatore. At Origenes diu ante fuit exulare coactus, & ex veterum monumentis in comperto est, quod nunquam fuerit in patriam reversus, prohibente Synodi decreto; vigore cuius pulsus fuerat. Hoc argumento pressus Illustrissimus Huetius lapsum Origenis vult contigisse Anno æræ Christianæ 231. ætatis suæ 40. Alexandri Severi 10<sup>mo</sup>. Quæ chronologia ejurat Epiphanius, qui Deciano Imperio lapsum vindicat, quam & Chronologiam Peravius, Nat. Alexander & plerique alii communiter tuerunt; gnari nihil persecutionis Alexandro Imperante in Ecclesiam extitisse; saltem in Oriente, cujus mater Mammæa Origenei impensè favebat, neque permisisset, ut tale



quod in eum ausi fuissent aduerti. De ea liquidem Eusebius H. E. *Lib. 6. cap. 15.* memorat, quod Antiochiæ commorans per turbam Satellitum Origenem ad se accersiverit, apud quam ad tempus moram fecerit, &c. Præterquam verò quod stuprum intentatum sit pœna à Romanis moribus alienissima, ac nullius quidem exempli: cum cruces, ignes, feras intentare solerent; à vero prorsus alienum, quod commenti defensores referunt, in communi Christianorum vexatione Origenem ad sacrificandum idolis fuisse coactum, quandoquidem ab eo tempore, quo in Alexandria decessit Ecclesia Christiana per annos ferè viginti summa gavisata fuerit malatiâ. Neque expeditius sese extricare poterunt, qui cum Epiphania factum ad Decianam persecutionem restringunt, quoniam tot tamque inextricabilibus sese involvunt difficultatibus, ut nullus appareat evasionis locus, quemadmodum operose remonstrat perspicacissimus Historicus Nanus Tillemontius *Comp. hist. Eccl. 6. prior. sec. tom. 3.* Cum itaque Epiphania Chronotaxis procul à vero dignoscatur, neque subsistere narratio poterit, quæ in uno recumbit Epiphania, qui sæpius aliorum relatione deceptus, falsa memoriæ prodidit. Habeat hîc locum, quod apud Ciceronem *Epist. 2. ad Attic. l. 2.* quidam Orator nolens uni testi credendum adjecit.

*Ne Catoni quidem.*

III. Pro Origenis innocentia facit, quod Demetrius Patriarcha Alexandrinus, qui tam iniquo animo tulit, quod Origenes castratus Prebyter ordinatus fuerit, ut, referente Photio in *Bibl. Cod. 228.* *Per totum mundum super nomen ejus scripserit.* Illumque excommunicaverit; nunquam tamen idolatriam eidem exprobraverit, severissimus aliàs errorum Origenis censor. Sed neque quisquam alius adduci potest, qui ante Epi-

phanium hujus gesti meminit. Non est autem verisimile intra annos 140. quibus plurimi suas lucubrations divulgârunt, Origenisque meminerunt, omnes ex professione actionem tam Origeni probrosam, quam Ecclesiæ scandalosam voluisse silentio obtere, quam S. Augustinus, frequentissime de ipso verba faciens alicubi saltem indicasset. Quid, quod neque posterioribus sæculis, quando de Origenis scriptis, erroribusque Controversiæ fuerunt exortæ, & egente Justiniano refoffi, nulla de execrabili facinore in- vel extra Concilia fuerit ulli quæstio mota? quod tamen in ignominiam repullulantium Origenistarum foribus agendum fuisset. Denique, ut hoc argumentum Cardinalis Batonius prosequitur, Porphyrius Christianorum hostis inferissimus & Ecclesiæ invidus gloriæ, cum celeberrimum illum Ammonium Christianum Philosophum à fide Christi ad Ethnicos delivisse non erubuerit mendacissime literis prodere; quid de Origene obsecro dixisset, quem Plotino suo præfert & mirificè laudat, si eo de Christo negato verè dicere ac firmiter asserere licuisset. Vivebat eodem tempore nec famâ solum, sed vultu hominem probè noverat, quocum & se conversatum narrat, in ea, quam post hæc tempora scripsit, Plotini vita; in qua Origenem egregiis laudum encomiis cumulativè exornat, nec ausus est illi notam, sicut Ammonio, inurere, quod ipsius memoria recentior esset, & ejus confessio adeo omnibus innotuisset, ut ne exiguus quidem locus videretur patere mendacius, vel levis imponendæ calumniæ occasio sibi esset relicta.

Atque ex his omnibus vehemens suspicio exoritur, quod neque Epiphanius hoc de Origene scripserit; quin potius in manum interpolatricem fabula refundenda, quam eam cum nupero heterodoxo Chronologo notæ, ut ait, Epiphani in Origenem iniquitati virulenter adscribere. Licet interim

Fran-



Franciscus Collius Mediolanensis Doctor & Seminarii Ambrosiani Professor. *De anim. Pagan. part. 2. lib. 4. cap. 13.* censeat non ita proum creditu videri, in Divi Epiphaniï operibus, quæ, nullo repugnante, vera & germana habentur, hanc de Origenis lapsu narrationem spuriam arbitrari, cui, velut genuinæ idem stylus, eademque dictio Epiphaniï propria suffragatur: magno attamen argumento est, ne quidem Nicephori Calixti tempore illam fuisse Epiphaniï operibus insertam; quod is de Origenis lapsu narrans, absque productione testium, sub illo, sibi in fabularum relatione familiari verbo, ajunt, rem proferat. Utiq; Epiphanius citasset, qui Origeni videbatur infestus, si ea narratiuncula tunc in illius libris legi potuisset. De librorum horum interpolatione plura infra. Interim Iconoclastas hæc scripta per admixtas corruptelas depravasse, multis demonstrat alter Epiphanius in Concilio Generali VII. Nicæno II. *Act. 6. num. 5.*

Porro Collius, etsi *loc. cit.* vim Baroniæ ratiocinationis agnoscat, eâ tamen aliquem cogi posse ad assensum novæ, ut vocat, opinionis inficiatur. Quod Epiphanius scribat Origenem illo tempore floruisse, dum idololatriæ reus infimulabatur, non aliud, ejusdem Doctoris judicio, vult indicare quàm, quod tunc vixerit, sicut etiam S. Hieronymus observavit *Lib. de Script. Eccl.* Origenis verò Antagonistas Collius vult dogmatum duntaxat Censores fuisse, qui noluerunt personale crimen prosequi. Similiter Augustinum nihil de illius lapsu protulisse, quia doctrinam, non mores ejus, quos fortasse probè noverat, insectatus fuit.

Nec quidquam ponderis Baronii argumenta obtinent apud Natalem Alexandrum H.E. *Sec. 3. Dissert. 26.* ubi dicit virum doctissimum ariolari & levioribus uti argumentis; quod merito Halloix *Lib. 4. quest. 3. Resp. ad 4.* suppresso tamen Alexandri nomine, mira-

batur; quem ait multò levius argumenta Cardinalis refutare, & illud, quod postremo loco hîc adductum fuit, dissimulare atque intactum relinquere. Recensabit utique P. Alexander Baronii motivum inter argumenta negativa, quale reverà est. Ast ubi hujusmodi adducit, pro sua, quam aliàs probandam assumit thesin, multus est & disertus, quemadmodum in ipsius eruditissimis lucubrationibus quampluribus locis apparet. Quando ergo pro opinione, suæ contraria ab aliis similia adferuntur, peperam iis omnem probandi vim adimit. Sic non rarò vir Excellentissimus committit, quod in suis adversariis reprehendit, neque semper pensi habet, quid adducat, dummodo causæ suæ servire putet. Quamquam profectò hoc non est causæ suæ servire, sed nocere; si quis studio certandi proxima quæque arripit, inserit, censet, vexat, nec de ulterioribus aut ceterioribus cogitat. Videri poterit Controversia 17<sup>ma</sup> de Dionysii Scriptis, quantum Alexander argumento negativo vult esse tribuendum. Valeat, quantum potest illius & Collii ad priora argumenta silentii ratio adducta; nimirum quod post extortam thurificationem idololatricam Origenes statim scelus pœnitentiâ eluerit, ac deinde quamplurima, pro fide Religione ac Deo perpeffus fuerit; idèdque illiberale, iniquum, atque ad intentum minus conductibile fuisse referri ab Authoribus ingenuis, qui Origenis perversa dogmata, non mores, seu àctiones, regulis fidei contrarias oppugnabant. Verumtamen premit, & plurium eruditorum judicio, non leviter stringit illud de Porphyrii silentio adductum argumentum, quantumcunq; negativum; idque omnium esse fortissimum Halloix censet: quidquid Collius id minus utgere asserat, eo quod sicut infamis apostata Porphyrius crimina affingere Ammonio noverat, sic vera producere callidè renuerit, non ignarus, Origenem, etiam admisso crimine, ab Hiero-



rosolymitanis orthodoxis in pretio habitum. Sed hoc nihil est aliud quam conjecturam conjecturâ velle elidere, ac gracili clavo trabalem conari excutere. Magnam quidem libertatem conjecturantes sibi appropriare solent: sed rationum momentis, magis aut minus probabiles reddi conjecturas, non est, qui nesciat. Quod si ex decreto Concilii Africani *sacrificatis* non nisi in articulo mortis impertiebatur absolutio, quemadmodum S. Cyprianus tradit, atque adeo in tota vita velut publici habebantur peccatores; quomodo Collius verificare poterit, quod Origenes, etiam admissio peccato thurificationis Hierosolymis fuerit ab orthodoxis in pretio habitus? Esto silentium Porphyrii nequeat omnem de lapsu Origenis suspicionem abstergere, non modicum tamen suffragabitur ejusdem inconcussa in perferendis catenis ferreis, equuleis, cruciatibus constantia, ac distentis in nervo pedibus ad plures dies, additis etiam ignium ac suppliciorum aliorum minis, gloriosa passio. Hæc certè fidem faciunt, Christi Athletam in illa perplexitate potius hujusmodi tormenta & mortem ipsam elegisse, quam falsum numen cultu, licet tantum externo, affecisse. Quando autem tanta passus Origenes ad martyrii finem non pervenit, ut scribit Epiphanius minime sequitur, ut Collius timidè, sed vanè inferre nititur, quod falsorum deorum simulachris divinum honorem exhibuerit: potius colligere licebit, quod Dei providentiâ pro bono Ecclesiæ reservatus, postmodum martyrii occasionem nactus non fuerit. Si lapsus ab Ecclesia Alexandrina ob tam enorme crimen ejectionis fuisset, quomodo à Hierosolymitana admissus, imo rogatus fuisset & compulsus ad prædicandum verbum Dei, ut malè consuta perhibet narratio? & dum hujusmodi ejectiones ac excommunicationes literis encyclicis seu cirenlaribus, quamprimum cæteris indicabantur Ecclesiis; cum ævi illius disciplina non facile conciliabitur

Origenem excommunicatum thurificatorem Hierosolymis ad functiones Ecclesiasticas admissum.

Non hæc sunt quidem argumenta ex genere demonstrativo, quæ intellectum necessitant, ut assentiatur illis, quæ ad probandum assumuntur; possunt tamen videri magis ad persuadendum apta, quam ea, quæ et adverso allegantur, quando ab Origenis defensoribus.

Ad Primum Responderetur. Ex communi Criticorum omnium sensu lamentationes & liber de pœnitentia falsò Origeni attribuntur: idque satis liquet ex apocryphis, quæ inibi continentur juxta Decretum Gelasii Papæ. Quod si etiam ultro daretur, quod Origenes verus Author esset; narratio de thurificatione adhuc magis de falsitate suspecta redderetur, quia ibidem dicitur. *Non autem lingua ad ruinam peccati me traxit.* Fuisset proinde peccatum oris, non operis.

Ad Secundum Responderetur. Tota, quæ apud Epiphanius legitur narratio, ut supra dictum, est commentitia. Atque ut invidia, instar ignis summa petit, nata ex eorum odiis fabula, qui Origenis, viri summi, ferre non poterant gloriam, Epiphanius Libris inde per fraudem assuta. Quod si quis cum Collio contentiosè oppugnare voluerit: in illud equidem condescender, Epiphanius fuisse, ut ingenio simplici & aperto, incauto nimiumque credulo, quod Peravius ipsemet ejus interpret *in not. ad heres. 15.* confitetur. Igitur hæc de Origene ejus simplicitati, tam multa alia, etiam falsa facile admittendi donanda. Theophilus Episcopus Alexandrinus Cothurnus dictus ob astutiam, etsi Origeni æquè ac S. Joanni Chrysostomo infestus, illius facta non carpit; quo manifestum redditur, commentum esse, ut Baronius vocat, quod de oblato thure deprimatur. Declamat autem ille Origenis doctrinam in sensu allegorico multipliciter erro-



neam; atque in cit. Epist. à S. Hieronymo latinè reddita, sic scribit. *Quis egrediens de Jerusalem & Jeroboam filii Naboth imitator existens, tot errorum altaria fabricatus est & ararum profana thura succendit?* Quibus verbis Theophilus nequaquam illud factum de electa thurificatione præ stupro Æthiopsis indicare voluit, quod citra dubium exaggerando paraphrasticè exposuisset: sed quod Origenes variarum doctrinarum thuribula diabolico fumo compleverit, & hinc Jeroboam assimilandus sit, quomodo etiam in S. Joannem Chrysostomum calumniosè effudit, quod pejor sit Rege Babylonico, sceleratior quàm Balthasar, magis scelestus, quàm idololatrà & Ethnici. Testimonia Patrum Ægypti & Alexandriæ, præterquam quod authentica Synodica expositionis multum vacillet, nullius planè sunt roboris, utpote Origenis adversariorum & Theophili Alexandrini subjectorum, qui eosdem tumultuè congregavit; & quidquid furoris impetus dictaverat, facilè obtinere potuit: Nam

*Qualibet iratis ipse dat arma furor.*

Restat jam discutiendum illud, quod primis, mediis & posterioribus sæculis viros Sanctos & eruditissimos collisit; desuperque exorta sunt, ut apud Claudianum legitur,

*Gigantei praelia belli.*

Nimirum. An Origenes docuerit in fide errores. Ejus orthodoxiam olim plurimi insignes viri vindicandam sibi assumpserunt, & doctrinam ubique sanam in suis Scriptis reperiri totis viribus sustinuerunt. Neque ævo Patrum & nostro defuere, qui Origenis quæcunque dogmata Ecclesiæ conformia dixerent, eumque ab omni labe hæresis immunem pronuntiarent. Inter hos sunt Jacobus Merlinus Theologus Parisiensis & Vicarius Generalis, Sixtus Senensis, Gisbertus Gene-

brardus, Stephanus Binetus & præcipuè Petrus Halloix uterque è Societate Jesu viri celebres, quorum posterior Libris quatuor Innocentio X. Pontif. Max. dicatis Origenem masculè defendit, ad quod deservient sequentia.

I. Inter quamplurimos errores, qui aliquando operibus Origenis fallaciter intrusi, aut ex invidia livore ei objecti sunt, aut ex malevolorum, minusve bene sentientium vel intelligentium interpretatione affecti, hi præcipui recensentur. Quod malè senserit de sanctissima Trinitate. Quod ante corpora dicat fuisse animas rationales. Quod de corporum resurrectione à fide aliena scripserit. Quod transmigrationem animarum probaverit. Quod constituto termino Angelos & homines damnatos in pristinum naturæ statum restituendos tradiderit. Ast in his, æquè ac aliis nostræ Religionis mysteriis fideique articulis Origenes sicut rectè credit, ita bene scripsit & docuit. Imprimis enim eos acriter insectatus fuit hæreticos, qui malè de Christo sentirent, atque Beryllum, Bostorum Arabiæ Episcopum, de Christi divinitate perversè opinantem disputando coram universa Ecclesia confudit & ad sanio-rem mentem reduxit, ut legitur apud Eusebium H.E. Lib. 6. cap. 26. Ergo de Filio Dei Origenes haud sinistrè docuit: nec de Spiritu Sancto, qui Lib. 4. in Epist. ad Rom. cap. 4. ita commentatur. *Eum autem credere in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, qui integrè plenam atque perfectam substantiam credit; qui nihil divinum nihil discrepans aut extraneum in Trinitate profitetur.* Deinde Halloix ex sedecim locis, quæ ex Origenis scriptis desumpsit, non obscure ostendit ipsam scripsisse de sanctissima Trinitate, quod est sanum, Sanctum & Catholicum. Idem etiam Bellarminus præstat; qui Lib. 1. de Christo cap. 10. ex eo, quod Didymus Magister & Gregorius Thaumaturgus discipulus Origenis de sanctissima Trinitate bene sentiant.



tiant, non malè infert improbableè esse, quod ipse non bene senserit. Animas fuisse ante corpora creatas, & pro diversis meritis, diversa corpora fuisse sortitas putavit Origenes, re neque satis discussa, neque ab Ecclesia Catholica tunc definita. Nequaquam verò hoc dogmaticè asseruit, aut pertinaciter propugnavit: sed conjecturas diversas adduxit, cur ita sibi videretur. De resurrectione mortuorum docuit, quod sacris literis & traditioni Apostolicæ fuit conforme, ut satis liquet ex locis, quæ tum S. Pamphilus tum alii adducunt ex *lib. 1. & lib. de resurrectione*. & ex commentariis in *Psalm. 5.* Quod si non satis sese explicaverit; quia corpus & non caro; aut quia caro tantum, aut non hæc caro resurget, idem in aliis quibusdam bonæ notæ Patribus reperitur, qui propterea non objurgantur, quasi à vera fide deflexissent. Ad cætera quod spectat, perperam illa Origeni affinguntur ex locis obscuris non satis bene intellectis, aut etiam corruptis. Quamquam non possit absolutè negari, quod opinioni tuentium metempsychosin faverit: sed dubitanter, & autumando potius ex aliorum sententia, quam propria de hac materia disputavit, nihil absolutè statuens, qui eandem opinionem alibi refutat præsertim *lib. 7. in Matth.* super verba Christi. *Ipse est Elias* tibi sic discurret. *Quibus aliqui dogma introduxerunt metempsychosin, id est transmigrationem animarum. Quia, si peccatis (secundum quod ipsi sentiunt) transmutatio fiat animarum; propter quæ peccata Elia anima transmutata est in Joannem, qui ab Angelo nasciturus prænnuntiatur.* Alia in hanc rem à cit. S. Pamphilo producta leguntur.

Pariformiter sentiendum de eo, quod Origenes admiserit dæmones salvandos in fine sæculorum, quæ quidem opinio Origenis ævo non omnino visa fuit improbableis, quàm alii quoque post eum amplexati sunt. S. Ambrosium ita sensisse de quibusdam Angelis damnatis in *cap. 3. Epist. ad Ephes.* & ip-

sum S. Hieronymum indicasse observat Gebrardus *ad Orig. cap. 6. Lib. 1. de princip.* De quo quidquid sit, liquet ex Origenis incubrationibus, nihil quoque certi aut potius illi illud desuper statuisse, sed reliquisse Lectoris judicio. Adjecit insuper ad salutem hanc consequendam conditiones impossibiles, & contra Valentinianos agit, qui dicebant diabolium nullo modo posse vel potuisse salvari, eo quod naturæ esset peritura: nec Gabrielem damari, quia naturæ esset salvandæ. Origenes autem probat utrumque esse illius naturæ, ut possit vel salvari, si libero arbitrio rectè uteretur, vel damari, si pravè abuteretur. Unde ipsi retorquebant, sed malè, quod docuerit diabolium salvandum. Porro mirandum non est, si prima sine exemplo erraverit, qui tot volumina sine magistro præcedente explicuit, ut scribit Trithemius *Lib. de Script. Eccl.*

II. Præcipui primorum sæculorum Patres & Scriptores, qui haud diu post Origenis fata vixerunt, cum audiverunt, illius libros genuinos legerunt, optimè intellexerunt, in illis hæretica dogmata minimè deprehenderunt, adeoque illum Catholicum & orthodoxum venerati sunt. Didymus cæcus, ob ingenii præstantiam & perspicacitatem cognomento Videns, oculis scilicet Angelorum, ut magnus asserbat Antonius, nulla perpexit in Scriptis Origenis prava dogmata: qui potius testatur de sanctissima Trinitate, aliisque fidei articulis bene scripsisse. Gregorius cognomento Thaumaturgus ob miraculorum multitudinem, Origenis discipulus *Orat. Paneg. de Orig.* perhibet, quod is maximum donum divinitus acceperit, ut verbis Dei interpres hominibus fieret; & quasi Deo loquente intelligeret, quæ hominibus enarret. S. Athanasius. *Loc. cit.* observat, quod strenuus Origenes ea, quæ disputationis & exercitationis gratiâ conscripsit, noluerit ita intelligi, quasi sic senserit. S. Pamphilus Presbyter Cæsariensis in *Palæstina* &



& Martyr inclytus, pro Origene, sicut communis fert opinio, Apologiam, Eutebio adjuvante, ut prodit *Lib. 6. H. E. cap. 33.* elaboravit sex libris comprehensam; quorum primus ab ipso Pamphilo confectus, quatuor sequentes ab utroque conjunctim, sextus à solo Eusebio post alterius Martyrium, eique operi coronidem imposuit: atque hic liber idem est, cujus meminit Geladius Pontifex Maximus in Decreto. Hieronymus quidem non in uno loco abjudicat Pamphilo Apologeticum hoc opus: sed sibi contrarius est, qui in locis aliis ipsum dicti Libri agnoscit Authorem, quanquam *Epistola 65.* & in Apologia adv. Ruffinum errore se deceptum profiteatur, ut hoc diu existimavit. Scriptus autem is liber est circa annum 305, à Pamphilo in carcere, ut quidam volunt, alii quatuor ante Concilium Nicænum evulgati fuerunt. Huic tamen conformiter Pamphilus in eo totus est, ut strenuè adversantium conatus contundat; & qui objecti fuere errores Origeni; ex ipso convincat Origene, non esse illius; ostendens ex certis & receptis tractatibus eundem prorsus contraria docuisse.

Ruffinus Presbyter etiam librum edidit de adulteratione librorum Origenis, in eo demonstrans, illo adhuc vivente Scripta fuisse corrupta, quæ ediderat, quemadmodum & ille ipse conquestus fuerat in quadam Epistola ad amicos Alexandria. Sanctus quoque Theotimus urbis Thunionum in Schytia Episcopus vir doctus & inclytus, miraculorum potens, ut ob horum & multitudinem & magnitudinem DEUS Romanorum à Gentibus appellaretur; hic, ut est apud *Calisiodorum Lib. 10. hist. trip. cap. 1. p. 10.* fateretur malam doctrinam esse in libris Origenis se non posse conspiceret. Nec abnuit Vincentius Lirinensis *Commun. cap. 3.* errores libris Origenianis insperfos adulteratoribus tribuendos: quod clarè pronuntiat Haymo Halberstad. lib. 6. de *Christianor. mem. cap. 3.*

cujus verba sunt. *Ego sanè duo, salva fide Patrum, dixerim: vel quod omnino hec non scripserit: sed ab hæreticis ob præclarum nomen ejus obfusandum, malignè conficta sint & proscripta & nomine suo prætitulata: vel, si scripta sint, non statuit ex sententia: sed differuit ex opinione.* Atque ita plures priorum temporum Scriptores Ecclesiastici suam de Origene censuram ferunt.

Hos omnes tam veteres, quàm recentiores in vanum laborasse, laboraturosq; qui ab omni labe doctrinam Origenis eximere voluerunt, scribit Nat. Alexander *Hist. Eccl. Diss. 6.* quæ est omnium ferme eruditiorum cujuscunque ævi receptissima opinio; qui Origenem circa fidei dogmata erroneè scripsisse & sensisse communi suffragio testantur, nixi his fundamentis.

I. Concors ac perpetua traditio ex irrefragabili Sanctorum ac Sapientissimorum Patrum censura procedens convincit Origenem gravissimorum errorum reum, quos in illius scriptis deprehenderunt. S. Petrus Alexandrinus Episcopus, S. Methodius Episcopus Tyri, & Martyr, non quidem sub Valeriano, ut Suidas & alii putant. Sed in persecutione Diocletiani; Demetrius Patriarcha Alexandrinus, Theophilus Patriarcha Antiochenus, S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Augustinus & alii passim omnes fidei contraria observarunt: adeo, ut Roma universa, teste eodem Hieronymo, Origenem execrata fuerit, ejusque memoriam damnaverit. Vivis illum depingit coloribus citatus Epiphanius, dum illum vocat hominum furiosissimum, infideli deteriorem, mortalium infidelissimum, ejusque doctrinam dicit esse impiam, perniciosam, contra veritatem in multis fidei partibus ab ipso excogitatum, venenatum, &c. &c. Theophilus Alexandrinus etiam acerrimè invehitur in Origenem *Epist. Paschali 2.* illum nuncupans hydram omnium hæresum, novæ impietatis assertorem, artis magicæ patronum,



corruptorem veritatis & Sacratum Scripturarum. S. Pachomius, ut in ejus vita *cap. 27.* legitur, sic execratus fuit Origenis volumina, ut nec legentibus ea aures præbendas præscriberet. Cùmque aliquando ex fœtore suborto, ut refertur *cap. 44.* suspicatus fuisset de quibusdam anachoretis alta differentibus, quod Origenem legissent, illos insecutus desuper convenit. Sequenti capite narratur, quod volumen Origenis confestim arreptum aquis immerferit, aliisque Monachis, ut idem facerent, Author fuerit. Denique de Origene scribit S. Hieronymus. *Majora cogitans, propriumque ingenium ferre non sufficiens, oneribus majoribus caricabat se, & cum sic incedere non posset, ruinâ magna devolutus est.* Atque horum aliorumque præstantissimorum virorum autoritate Origenomachi arbitrantur satis superque elevari, quod pro eo superius fuit adductum argumentum.

II. Ex ipsemet Origenis Scriptis clarè patet, illum hæresin fovissè. Nam in *1. Ps. ad fin. præfat.* scribit. Filium Dei creaturam, huncque factum. Quo datur intelligi esse Patre minorem. Item *Lib. de Princip.* docuit Patrem non videri à Filio, neque Filium à Spiritu Sancto, quod duo Seraphin: *Esa. cap. 6.* sint Filius & Spiritus Sanctus; quod Filius Dei sit vapor de substantia Patris exhalatus; qui error est à Platone desumptus; quod Christi regnum sit finiendum; quod anima Christi se exinaniverit, quod pro dæmonibus sit passus &c. Meritò itaque S. Hieronymus *Epist. ad Pammach.* scribit Origenem malè sensissè de Filio, pejus de Spiritu Sancto. Demum illi omnes, qui posteris temporibus de Origene scripserunt, in eo conveniunt, quod senserit damnatorum & dæmonum pœnas non fore æternas. A quibus aliisque erroribus ipsum velle eximere, est Ethiopem lavare. *Origenes bonus Scripturarum interpres: sed malus dogmatistes.* Censura est S. Hieronym. L. c.

III. Non solum diversa Concilia Nationalia, Provincialia, Romæ, Alexandria in Egypto, Constantiæ in Cypro, Constantinopolis in Thracia celebrata errores ac hæreses Origenis damnaverunt: sed insuper Synodus Oecumenica V. Constantinopolitana 2<sup>da</sup> Origenem ipsum cum aliis hæresiarcho Macedonio, Apollinari, Eutyche Nestorio, una cum impiis eorundem Scriptis anathematizavit; eaque Synodus præcipuè propter Origenem fuit convocata tum à Vigilio Pontifice Romano, sub quo habitatum à Successoribus Pelagio I. Joanne III. Benedicto I. Pelagio II. atque à S. Gregorio Magno confirmata & ratificata. Et quia Concilia Generalia ex assistentia Spiritus Sancti sunt in suis definitionibus infallibilia; nullus ambigendi locus relinquitur de conscientis Origenis in fide erroribus à cujus periculo non multum videntur abesse ii, qui, posthabito Ecclesiæ judicio, proprio ob qualdam ratiunculas innitentes, Origenis dogmata, ut sana & irreprehensibilia ipsum verò ab omni culpa & lapsu immunem defendere præsumunt.

Nihilominus è vado emerfisse sibi perfusum habent moderni Origenistæ, qui ab Origene Scriptorum rectitudinem & personam orthodoxiam suscipiunt erudendam: quando illa, quæ utrobique obstat videntur, funditus emota credunt his Responsum machinis.

Ad Primum Respondetur. Quod Origenes in vita æquè ac post mortem mirè in Ecclesia celebratus fuerit, ejusque Scripta summo in honore habita, donec tempestas sæva à dæmone excitata fuit; quando illi terræ vehementer elevati insurrexerunt contra eum; idque vel invidia livore commoti, ut supra dictum, ipsius Scripta sinistrè intellexerunt. *Quia invidi atque maligni vitioso oculo vident, quæ vident, & confusi caliginè nequitia in id cadunt, ut minus videntes plus videant: cum tamen id, quod est illi,*



ut est, videre non possint. In tantum enim captum cor obliquat invidia, ut rectum natura non videat. Ait Paul. Orosius de Ormesta Lib. 4. vel ex corruptis decepti alii imposuerunt Origeni, aut crediderunt ea per ipsum scripta, quæ nunquam viro huic in mentem venerant. Unde exortum famæ & honoris dispendium ab æmulis per universum pœne orbem malitiosè dispersum & amplificatum. Sed

*Illis fluctus rupes ceu vasta retundit,  
Et varias secum larrantes dissipat undas.  
Mole sua.*

Non secus Origenes Scriptorum suorum gravitate & soliditate despumantia refutat ora. Quod si Sancti Patres, qui haud diu post illius fata vixerunt, mali nihil suspicantes advertissent hæreticorum versutiâ libros contaminatos, quos nacti fuerant, aliter de Authore scripsissent.

Excommunicatio à Demetrio attentata brutum fulmen fuit evibratum in non auditum. Non est major iniquitas probatam innocentiam damnasse, quam non auditam inquit Lactantius Lib. instit. cap. 1. Ita quidem vecors in innocium debacchatus fuit, ut per totum mundum super nomen ejus scriberetur. Scribit Haymo loc. cit. qui alibi refert, hanc damnationem Origenis sudoris sui fuisse pretium. Romæ autem contra ipsum tunc Senatuum coactum non propter dogmatum novitatem, non propter hæresin, ut nunc adversus eum rabidi canes simulant: sed quia gloriam eloquentia ejus & scientia ferre non poterant, & illo dicente omnes morti putabantur. Quemadmodum ergo viti maximi, licet morum integritate conspicui, vix sævos invidentiæ latratûs effigere poterunt, ita neque Origenes. Sed hæc nominis sui obscuratio exiguo tempore viguit, quando splendor doctrinæ ejus velut per

opaca nubis radiis fulgentissimis corruscans densas invidiæ nebulas dissipavit. S. Epiphanius in felle amaritudinis de Origene scripsit. Theophilus fuit eidem inimicissimus, qui similia maledicta, ut supra memoratum, in Sanctum Joannem Chryostomum effudit: hinc meritò autoritate Innocentii I. ab Ecclesia tanquam membrum putridum abscissus fuit. Quæ ineptus Scriptor de Pachomio commemorat, si vera sunt, ex ignorantia processerunt. Hæbetur ibidem quod Pachomius voluerit Librum Origenis in ignem projicere; à quo tamen abstinuerit, quia Dei nomen continebatur in illo. Nonne immersio aquæ erat perditura Dei nomen; ac combustio? Credere poterat Pachomius ex sua de ignotis fratribus sinistra suspitione potius quam ex Lectione Origenis mephitum exortam. Nam si ipsemet Pachomius, aut Scriptor vitæ ejus legissent Origenis libros; certè odorem pietatis ex iis hautissent, non fœtorem, ait Halloix citatus. Neque creditu difficile est odorem de Origene presbytero fragrantem ope Monachorum fuisse infectum, & patrem Monachorum falso de eo per illos opinione imbutum, quandoquidem per hujusmodi panurgos Innocentium II. legamus circumventum in Epist. 327. Sancti Bernardi ad hunc scribentis. *Nec mirum nec novum est humanum posse falli & fallere ingenium. Monachi venerunt ad vos & in spiritu mendacii ac spiritu erroris adversus Dominium & adversus Christum ejus. Verbum iniquum constituerunt adversus Episcopum, cujus conversationis & vita odor fuit hætenus in omni loco, &c.*

Ad Secundum Respondetur Illa, quæ in Origenis Scriptis notantur, quasi à fide aliena in mysterio Sanctissimæ Trinitatis sumenda sunt in sensu accommodo: quandoquidem satis constat ex aliis locis quamplurimis, Apologiis & Sanctorum Patrum testimoniis Origenem de præfaro mysterio omnino Catholi-



tholice sensisse. Neque *loc. cit.* neque alibi scripsit ipse Filium Dei esse factum; aut ex nihilo creatum; licet hoc Epiphanius velit: sed esse genitum Deum; ut doctissimus Petrus autem sanctus Athanasius ante tempora Arij Patres in mysterio Sanctissimæ Trinitatis usurpasse voces *factum, infectum, sive productum & improditum* intelligendo Patrem, qui nulla prorsus ratione productus, qui caret omni principio: & quia Filius & Spiritus Sanctus habent sui principium, à quo Filius productus per æternam generationem, & Spiritus Sanctus per æternam spirationem. Quare, quod S. Hieronymus de Patribus illius ævi scribit, *Innocenter quedam & minus cante locuti sunt.* Et S. Augustinus de S. Chrysostomo, cujus autoritate Pelagianus abutebatur ait, *Vobis non litigantibus securius loquebantur.* Id pariter Origeni applicandum. Quod si S. Athanasius, referente Facundo Hermianensi, *Lib. 10. cap. 5.* Sancti Dionysium Alexandrinum à calumniis Arianorum vindicavit; licet quedam dura & vix excusabilia protulerit, quia in communione Ecclesiæ permansit; nonne & ea, quæ in operibus Origenis leguntur ambigua, & ad defendendum difficilia, debent benignam interpretationem subire; quando constat Authorem nunquam à Communione Ecclesiæ se separasse?

Dum Origenes abnuat Filium videre Patrem, non est sumendum illud de intelligentia cognoscitiva; sed visione corporea. Dicit autem expressis verbis *hom. 3. in Cant. Solus Christus est, qui videt, id est cognoscit Patrem.* Dum scripsit Filium & Spiritum Sanctum esse binos Seraphinos, voluit quod duo Seraphin hæcæ duas in Deitate personas expresserint. Hoc modo scribitur, quod Christus sit Agnus Leo, lapis; Spiritus Sanctus ignis, lumen, &c. Dum docuit Origenes, quod Filius Dei sit vapor de substantia

Patris, conformiter Sacræ Scripturæ sensu Sap. VII. 15. *Vapor est enim virtus Dei, & imago est quadam claritatis omnipotentis Dei Sincera.*

Quam Origenis explicationem, sicut Cornelius à Lapide prædicat, ita perperam Ludovicus Molina suggillat. Neque sumptum id est ex Platone: sed Plato suam mutuatum à Salomone fuit opinionem. Frequenter docuit Origenes Christi regnum duraturum in perpetuum: adeoque ex affectata Theophili cæcitate & criminatione procedit, quasi ille scripserit Christi Regnum aliquando finiendum; quam quidem ex falsa hypotesi per consequentiam coactam, esse eundem doctrinam frustra contendit armulus. Christi animam sese exinanivisse Origenes nunquam tradidit. Sed Dei Filium, seu Christum, ut Paulus docet, se exinanivisse *Lib. 5. in Epist. ad Rom.* scribit. Christum pro dæmonibus passum Origenes ipsemet refutavit, Sed neque Epiphanius, qui illius errores acurate annotavit, hujus meminit. S. Hieronymus ob diffidium cum Rufino fuit Origeni minus bene affectus, eaque de illo in spiritu vehementi scripsit, quæ animi indignatio suggestit, cum aliàs virum illum miris præconiis affecerit. Negari quidem non potest, quod Origenes à multis, qui plus authoritati quorundam, quam exactæ disquisitioni tribuerunt, multorum arguatur errorum; de quo S. Augustinus testatur: quod Ecclesiæ Catholica quedam dogmata non recipiat, in quibus non ipsum falso arguit, neque poterit à suis excusari defensoribus; si, quod Augustinus, permotus Theophili autoritate, ut verum supponit, Origenes in propria persona tradidisset, Certe, quod senserit, pœnas damnatorum non fore æternas, ne quidem ab infensissimis hostibus illi unquam objectum fuit. Unde credibile est non nisi post annos plures palpabilem hunc errorem à malevolis illi fuisse affixum,



Dum vero Origenes per suos partitios ita abluatur, non tamen super nivem dealbatur, quin navis quibusdam conspersus videatur: quales tamen in operibus Patrum, qui ante & post eundem scripserunt, reperiuntur. Si quidem Bellarminus tom. 2. Lib. 1. cap. 6. de Justino, Irenæo, Epiphano, &c. &c. scribit, se non videre, quo pacto eorum sententia ab errore possit defendi. Vulgo notissimus est Cypriani error circa fidem; nempe hæreticorum baptismum esse invalidum; quem acriter contra Summum Pontificem defendit: & tamen nævum hunc in candore Sanctæ animæ ubera charitatis contexit, atque sanguine ablutum idem S. Augustinus scribit. Quidni nævos haud ita tenaciter Origeni adherentes, charitas, qua in Deum & proximum flagrabat, textit, & Martyrii ardor consumpsit? Si, quod ajunt, Origenes sex millia librorum composuerit, impossibile propemodum foret, ut ex humana ingenii infirmitate non impegerit. Præclare Divus Hieronymus in *cit. Epist. 65.* *Quis nostrum tanta potest legere quantum Origenes conscripsit? Quis ardentem ejus in Scripturis animum non miretur? Quod si quis Judas Zelotes opposuerit nobis errores ejus, audiat liberè. Interdum magnus dormitat Homerus.*

*Verum opere in longo fas est obrepere somnum.*

*Non imitemur ipsius vitia, cujus virtutes, non possumus sequi. Erraverunt in fide alii tam Græci, quam Latini, quorum non est necesse proferre nomina, ne videamur eum non suo merito: Sed aliorum errore defendere. Hæc Hieronymus quantusquisque Origeno-mastix.*

Obtulerit itaque Origeni quod humanum est, quod Evæ filiis commune, quod Justino, Irenæo, Clementi Alexandrino, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, &c. viris maximis frequenter obtigit:

erit tamen, si non in toto; saltem à tanto excusandus, quod non scienter & volenter errores tuendos assumpserit. Baronius quidem *Annal.* ad an. Chr. 232. in eo reprehensibilem vult Origenem, quod retractationum nullum ediderit commentarium; cum ipsi tamen satis temporis & otii superfuisset. Sed, eo etiam admisso, plenæ satisfactionis loco servire potest, quod ipsemet Eminentissimus ad an. Chr. 248. scribit. *Origenes autem cum tot tantaque à se Scripta jam edita haud facile corrigere aut emendare posset aut vellet, hac una tantum via sua integritati consulere satis arbitratus, rectæ fidei professionem primò ad Fabianum P. M. tanquam ad totius Ecclesiæ Catholicæ Præsulem, mox ad alios misit Episcopos.*

Ad Tertium Respondetur. Provincialia Concilia, quæ Origene vivente, vel defuncto tumultuariè à suis tunc æmulis convocata & celebrata sunt; & in quibus ipse referretur condemnatus ob errores in fide, nullius in præjudicium veritatis & innocentie censentur roboris: præsertim cum de erroribus damnatis in specie certò non constet: quia acta haud diu post perierunt; neque eorum extat apud Synchronos aut supares Scriptores memoria. Hieronymus quidem post sæculum pro Demetrio contra Origenem, jam collisus cum Ruffino, hac de re scribit; verum major est habenda ratio eorum, quæ composito placidoque animo per eum scripta sunt, quam eorum, quæ turbida & turbata mente chartæ aliquando commisit. Sicut oculorum acies pura & lucida omnia intuetur; neque etiam in tenuissimis deprehendendis corporibus: verum si quis malus à capite humor vel caligo aliqua ad oculum ascendit, densa quadam ante pupillam nebula objicitur, quæ nec crassiora quidem corpora videre sinit. Ita anime usu venit, cum omnis perturbatio, quæ eam offenderat purgata est, intente opportuna omnia prospicit. Verum cum pluribus turbatur affectibus vim omnem



omnem illam amittit. Verba sunt S. Joannis Chrysoft. in Joan.

Jam nodus restat Gordini solvendus de V. scilicet Concilio œcumenico, Constantinopolitano 2. quem dissecant potius, quam solvunt, qui illud Generale ac legitimum esse negant; quasi sine autoritate & consensu Pontificis Romani, imo illo repugnante & contradicente, celebratum fuerit, cui interesse noluerit, nec per se nec per legatos; ut acta Concilii habent, & post alios recentissimè P. Cabassutius Ordinis Oratorii Presbyter in *Not. Conciliorum* exhibet. Imo ad iteratas invitationes factas, tum per Epistolam Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani per tres Patriarchas, sedecim Archiepiscopos, Patresque plurimos, ut per Imperatorem coacto Concilio præsideret, constanter renuerit. Hinc quoque interesse detrectarunt Episcopi Illyrii, Afri, Dalmatæ, &c. &c. Quare Justinianus Imperator, homo rudis & illiteratus, ut vocatur à Baronio, quamvis famæ eruditionis ambitiosissimus, contra fas & jus pergere jussit: ipsumque Vigilium firmiter reluctantem, ac suo *Constituto* inhærentem, post absolutas collationes in exilium relegaverit.

Sed hac machinatione non quatitur hujus Synodi autoritas apud eos, qui negant, licet plerique Catholicorum id supponant, ad hoc, ut Concilium sit œcumenicum atque legitimum, esse omnino necessarium, ut jubente, aut saltem consentiente Romano Pontifice, convocetur; in cujus rei exemplum proferunt Concilium Generale II. Constantinopolitanum primum, quod in contentu Damaso indictum volunt, tum ex silentio Soeratis, Sozomeni, Theodorici; tum ex Epistola Synodica illius Concilii ad Theodolium Imperatorem, qua 150. Patres ipsius mandato ad Concilium vocatos testantur.

Quod si verò ad universalis Concilii rationem pertineat; ut ejus decisiones, statuta,

Canones ac decreta à Papa approbentur & confirmentur, jam constat Synodum V. (cujus hæc præ cæteris sunt prærogativæ, quod omnes quatuor Patriarchæ interfuerint) si non ante finem, aut statim illo absolutæ, quemadmodum prætendunt Evagrius, Phorius, Nicephorus, alique Græci à Baronio refutati, saltem postea à Vigilio subscriptionem, quatenus ab exilio revocaretur offerente, à revocato fuisse confirmatam. Hinc etiam Baronius *ad an. Christi. 653. num. 224.* habet Concilium illud pro legitimo, quod, licet illi consensus Vigilii aliquando defuisset; ipsius tamen postea, vel successoris Pelagii & aliorum Pontificum assensu non caruerit. Verùm Halloix negat quod Vigilium in vel post exilium, aut in reditu, antequam in Sicilia moretur, Concilium approbaverit; quandoquidem nullum extat scriptum, quo id ostendatur; et illa quæ desuper fuissent ab hoc Pontifice inter exaratæ, haud dubiè fuissent à Concilio diligenter conservatæ. Qua ratione Baronius refutat Græcos, ipse pariter refutatur. Vigilium quidem Constantinopolim adventum pacis causâ subscripserat quidem in suo *Judicato*, ut vocatur, cum quibusdam aliis Episcopis à se convocatis in condemnationem trium Capitulorum, salva autoritate Concilii Chalcedonensis; quod additum Justinianus sublatum vellet. Sed quia Pontifex advertebat autoritatem illam pari per hanc damnationem (siquidem ea capitula in illo Concilio fuerant condita) ipsam revocavit & eorum defensionem susceptam suo *Constituto* quod ab Imperatore, antequam finiretur acceptatum fuit; in super Petribus communicatum vult Baronius, quod tamen aliqui in dubium vocant, alii cum Petro de Marca absolutè inficiantur. De eo quidquid sit, certum manet, quod Vigilium inchoato jam conciliabulo Constantinopolitano interesse recusaverit; causatus Episcoporum Occidentalium absentiam; ut referunt



ante Italiae Clerici in Epistola ad Legatos Francorum Constantinopolim proficiscentes: qui Præsules, cum postea non accesserint, vix veri speciem obtinere potest, quod deinde subscripserit.

Nec rogatu suo, aut sub spe obtinendae subscriptionis fuit Pontifex ab exilio revocatus; sed ut Anastasius Bibliothecarius *in vita suis* insinuat, opera Narsetis Comitis ac belli Ducis, qui post repulsos ex Italia hostes, Totilam occisum & Romam recuperatam instinctu Cleri petiit ab Imperatore, quatenus revocaretur Vigilins; id quod facile obtinuit. Itaque urget Halloix, à veritate alienum est, quod Papa ab Imperatore revocationem petierit; &, ut hanc obtineret Synodi approbationem sponderit. Neque unum ego Authorem (scribit Author) reperi, qui dixerit Vigilium Papam post exilium consensisse.

Utique vir multae sectionis non legit literas Vigilii ad Eurychum Patriarcham Constantinopolitanum Synodi V. confirmatorias, etiam Baronio incognitas; quia eas Illustrissimus Petrus de Marca prius anno 1642. publici juris fecit, quando ex M. S. Bibliothecae Regiae typis vulgavit, quam Henricus Noris ex Ordine Eremit. S. Augustini ob profundissimam eruditionem praesertim in antiquitate Ecclesiastica ab Innocentio XII. S. R. E. Cardinalis creatus in sua *Dissert. histor.* ubi Halloix oppugnat, genuinam auroque pretiosorem vocat, & Baluzius nullo pretio solvendam aestimat.

Non desunt interim aëvo nostro Critici, Ludovico Morero teste, *Diction. Hist.* qui Epistolam illam suppositiciam, ut hujus vi Synodus illa Oecumenica haberetur, ab Orientalibus fabricatam credunt. Ad quod inducuntur tum quia multa inconvenientia in ea continentur; tum quia acta latina vetustissima hujus Epistolae, tam gloriose Concilio, quam probrosae Vigilio nullam prorsus mentionem faciunt.

Frustra etiam Pelagius I. Vigilii Successor adducitur, quasi is Concilium approbasset, eo quod sedecim scripserit literas, in quibus potissimum quatuor extant, ubi fuisset congruum, imo necessarium, de Synodo V. loqui: & tamen neque in iis, neque in professione fidei suae, neque literis Encyclicis mentionem de ea facit, qui quatuor tantum recepit Concilia oecumenica. Sed & Marcus Aurelius Cassiodorus consulari dignitate, monastica Religione, non minus quam eruditionis laude vir spectabilissimus, qui sub utriusque Pontificatu floruit *Lib. de divin. lect. cap. 4.* intendens docere, quae ad hanc suam aetatem Concilia generalia sint recepta, capiti huic praefigit. *De quatuor Conciliis receptis* carpitque tacite eos, qui in quinto coaëcto quidquam contra illa sunt moliti.

A Joanne III. & Benedicto I. nihil in hac causa actum. Pelagius II. dicitur scripsisse librum pro defensione Synodi V. qui extat *tom. 2. Conciliorum Graeco-Latinorum p. 2.* inter fragmenta pro V. Synodo: sed iudice eodem Halloix, certum est hunc Pontificem falsis istius Concilii actis deceptum non vidisse *Constitutum* Vigilii, quia in libro suo conatur refutare doctrinam Episcoporum Ithriae. Mortuum ab hominibus non debere damnari. Quod certe non fecisset, si *Constitutum* illud legisset, in hoc Pontifex, ut aliàs Leo & Geladius, ejus antecessores docuerant, tradit. S. Gregorius Magnus cum hujus quoque Concilii in Epistola ad Theodolindam Reginam Longobardorum meminisset, eandem Epistolam Episcopus Mediolanensis, per quem erat destinanda, timens de futuro scandalo, remisit, quod Sanctus Pontifex ratum habuit, & alias literas dedit sine mentione illius Concilii, ut habetur *Lib. 3. Regist. Indict. 12. Epist. 37.* ubi utraque tamen extat, satisque in posteriore Pontifex insinuat Synodum V. non esse passim receptam: qui, cum aliis quatuor Concilii



ciliis tanquam quatuor Evangelii honorem deferri voluerit, quintum his non esse assimilandum censuit. Scribit quidem ipse, se pariter quintum venerari Concilium: sed *Constitutum*, quod Vigilii fecit, non fuit conficius. Quomodo enim quarit Halloix *lib. 4. q. 20. §. 1.* Justiniani conciliabulum, instigante diabolo concitatum & confectum, potest ulla veneratione dignum esse? necdum tali veneratione quali priora quatuor concilia? Constitutum illud sex paginis comprehenditur in annalibus Baronii, unde desumpsit Binius, & collectioni Conciliorum inseruit: in editione tamen Colonienfi magna ejus pars, præcipua, & perquam necessaria, fuit Amanuensis fortè incuria, omiffa. Censet autem tum Baronius, tum Halloix quod Synodus illa magis ab Ecclesia tolerata sit, quam recepta, eaque multò melius celebrata non fuisset, quæ malorum myriadem importavit: cujus occasione cum Oriens, tum Occidens immensa strage multiplicibus diu repleti sunt funetibus.

Nihilo fecius pro legitima Synodo Oecumenica habetur ab iplo Baronio & plerisque Scriptoribus Catholicis, qui Pontificum & Conciliorum subsequentiū auctoritatem præferunt, vigore cujus posterioribus temporibus illud Concilium, qua tale fuit receptum & approbatum. Replicat interim citatus Origenis strenuus defensor. *Nunquam approbassent, si Constitutum Vigilii vidissent, atque examinassent. Non vidisse autem atque examinasse inde constat, quod ne minimam ejus memoriam, ubi maxime oportebat, fecerint, & ea pro defensione Concilii protulerint, quibus jam diu ante in suo Constituto obviaverat Vigilii.* Infert itaque, quod nulla debeat contra illud Constitutum prævalere auctoritas Pontificum aut Conciliorum, quibus subtracta fuit notitia sententiæ Vigiliani: vel quod ex sola præsumptione alicujus tanquam veri processerint, quod postea certò cognitum sit esse falsum.

Sic memoratus Scriptor in *animadvers. necessaria* tenet Sextam Synodum in errorem tractam à quinta, & post se traxisse Septimam. Durius fortè alicui videbitur verbum hoc, cui auctoritas duorum eruditissimorum Cardinalium Joannis de Turretremata & Bellarmini sententium, in quaestionibus facti particularis Concilia generalia nequam esse infallibilia, perexiguū adferent lenimentum, quin non exasperetur aut scandalizetur. Fortè placebit magis aliorum hac in Controversia visa non improbabili opinio: nempe in Concilio V. Origenis causam non fuisse discussam aut disceptatam: sed in priori particulari Concilio Constantinopolitano anno 538. contra Acephalos coacto, cujus acta universali Concilio solita fuerunt subjungi, inde postea eorundem confusio. Ita Henricus Valesius in *Not. ad Evagrium Lib. 4. cap. 38.* id ex eo convincere volens, quod cum Theodorus Cæsarensis Origenistarum sic nuncupatorum præcipuus fautor in hac Synodo primas teneret, illud quod contra Origenis doctrinam quidam moliri voluissent, statim impedivisset.

Accedit deinde quod Justinianus cum sui asseclis potissimum in hoc intentus fuerit, ut tria capitula damnarentur; facile ergo, si quæ de Origene tractanda fuissent interjecta, supprimiti poterant.

Atqui hæc est Clarissimi Valesii conjectura, quæ planè opposita videtur perhibitioni testium fidei. Siquidem Evagrius *loc. cit.* scribit. *Missæ igitur anaphora relatio à prædicta Synodo ad Justinianum post acclamaciones contra Origenem ejusque sectatores.* Deinde Cyrillus Schytopolitanus edius à Cocelerio in *vit. Sabai*, ait. *Synodo Constantinopolitana coacta pariter Catholico anathemati subjacere Origenes & Theodorus Mopysustenus.* Similia leguntur apud Nicephorum *Lib. 27. cap. 27.*



Qui testes non possunt intelligi de illo priore Concilio: quandoquidem in hujus actis, quæ etiamnum extant, ne verbum quidem de Origene aut tribus Capitulis est legere: bene autem in Synodo Generali, quando collatione 8<sup>va</sup> Canone XI. habetur. *Si quis non anathematizaverit Arrium, Eunomium, Macedonium Apollinarem, Nestorium, Eutychen Origenem cum impiis eorum conscriptis, & alios omnes hereticos, qui condemnati & anathematizati sunt à Sancto Concilio & Apostolica Ecclesia, &c. &c.* Necesse est itaque ut conjectura Valelii corruiat, quæ potissimum, ut apparet, in confusione actorum fundatur. Id tamen ex ejusdem Authoris ratiociniis evincitur, præcessisse in illa Synodo damnationem Origenis, quem admodum etiam autumat è Protestantium cæta Scriptor Mulseus grandique supercilio in sua *Historia Christiana* sæc. VI. cap. 10. Perperam de suo addens. *Quam (damnationem) suppressit, ut potuit Theodorus Cæsariensis Cappadox, connivente Eutychio.* Si quidem ex Liberati Breviario cap. ult. liquet, Theodorum hunc, cum non posset suppressere damnationem Origenis, in vindictam urfisse pariter damnationem Theodori Mopsuesteni in ipsa Synodo: & hæc quidem, non verò illa in Synodo contigit, sicut ex S. Gregorio Magno *Epist. 36. ad Episcopos Hibernie* in Lib. 2. *Registri* constat, ubi legitur. *Sicut scitis de quibusdam illic (in Synodo V.) solummodo personis & agitatum; quarum una, cujus scripta evidenter à rectitudine Catholica fidei deviabant, non injustè damnata est.* Cum ergo Theodorus Mopsuestenus fuit in eo Concilio damnatus; non fuit Origenes damnatus, alioquin duæ fuissent damnatae personæ.

His itaque illa citati Scriptoris, æquè ac Valelii conjectura infirmatur atque Evagrii fides desideratur, qui multipliciter erravit, & alios Græcos in errorem induxit, ut nemo tantum errat sibi, sed Author est, ut er-

rent cæteri. Multominus, ipso Baronio arbitro, veritas elici poterit ex Concilii actis seu literis ultro citòque missis, & annalibus Baronianis insertis, quàm ex Historiis & Historiarum compendiis oscitanter & confusè scriptis, illa recensentibus, quæ ante & post contra Origenem sunt gesta, quasi ipso Concilio durante essent peracta: cum tamen ex ipsis actis constet nil in eo actum, quàm de tribus Capitulis.

Cæterum ad Origenis damnationem, quod attinet, sic res sese habet. Cum Monachi ab Hierosolymis Constantinopolim venissent, apud Imperatorem urserunt tum damnationem trium Capitulorum, tum ipsiusmet Origenis. Interveniens Menna Archi-Episcopus Constantinop. & Pelagius Romanæ Sedis Apocrisarius facillè induxerunt Principem ut annueret, qui scripsit Epistolam encyclicam, qua & Vigilium Papam & alios Præsules ad hanc damnationem concitavit; præcepitque ut damnationi subscriberent. An aliqui, & qui subscripserint incertum. Certum verò est in ipso Concilio nullis actionibus aut collationibus interpositis, ab Episcopis in una eademque Ecclesia congregatis quidpiam factum. Quidquid ergo Justinianus effecit per Epistolam illam, quam Halloix *Lib. 4. q. 10.* plurimis mendacis calumniis, &c. plenam prolixè ostendit; id corrogatis sensim Episcoporum sententiis & subreptitiè procuratis subscriptionibus obtinuit. Quanquam verò Imperator, in alienam messem immittens falcem, nihil egerit, quando in Origenem Anathematismum pronuntiavit; de eo tamen intelligendum erit, quod in Concil. Collar. V. habetur. *Et multos etiam invenimus post mortem anathematizatos... nec non etiam Origenem. Et si ad tempora Theophili Sanctæ memoria, vel superius aliquis recurrerit, post mortem inveniet anathematizatos. Non enim temporibus superioribus ab alio Concilio, Pontifice, aut alio quovis facultatem habente*



*Origenes reperitur anathematizatus.* Possent tamen hæc videri interpolata ob ea, quæ sequuntur. *Quod etiam nunc in ipso fecit & vestra Sanctitas, & Vigilius Papa antiquioris Romæ religiosissimus, &c.* quia neque in ipso Concilio de Origene fit mentio, neque Vigilius eundem damnavit, qui contra plurimorum opinionem constanter sustinebat, nullum post mortem damnandum, qui in pace Ecclesiæ obierit. Et si integra Epistola Theodoro afficta, deprehendatur intrusa in hanc ipsam collationem; quidni & hæc de Origene periodus ab ejusdem æmulis inserta credi potest? Quod si Honorius Papa inter anathematizatos à Synodo VI. & Synodo VII. fraudulenter atque malitiosè plurimis insertus locis fuit, quemadmodum multi prætendunt, & in Controversia de eodem dicitur; nonne etiam ipsum Origeneis nomen insertum fuisse prudenter præsumi poterit? Proinde illa, quæ ex aliis Conciliis subsequenter de Origene adferuntur, per modum simplicis relationis ex hac Synodo desumpta sunt, quæ nec plus valere possunt, quam illa, unde decerpta fuerunt. Quotquot ergo Concilium V. veluti irrefragabile argumentum Origenei opponunt, eundemque pariter cum suis dogmatibus in illo legitime condemnatum prætendunt, experiuntur propugnatores ipsius nequaquam in refutatione deficere & obstantis argumenti vim in tantum elidere; ut quod in defensionem adferunt argumentum negativum de quatuor Conciliis, Origenem non condemnantibus, credant validius stringere, quam adversa partis affirmativum de anathematismo à subsequenter Conciliis in illum vibrato: præterum quia in Conciliis, observante Baronio in *Annal. ad an. Chr. 681. num. 39.* in iis, quæ ad personas pertinent & scripta ipsarum non tam rigide reperitur custodita censura. *In his enim, quæ facti sunt unumquemque contingere posse falli, nemini dubium est: & tunc illud Pauli ad Corinthios*

*usurpari potest. Non enim possumus aliquid adversus veritatem: sed pro veritate.* Licet ergo Concilium V. Origenem ob quædam in ejus Scriptis reperta, vel subtexa, vel etiam ab ipso tradita errata damnaverit: illius tamen hoc in passu non videtur irrefragabilis autoritas, scribente Leone Papa *Epist. 59. Nulla sibi met de multiplicatione congregatorum Concilia blandiantur: quasi refutari nequeat, quod illicitè voluerit multiundo.* Atque ex his satis apparet, quod de Origene scripsit Trithemius *de Script. Eccles. Semper varia fuit de Origene Doctorum opinio; quibusdam hæreticum asserentibus: aliis sibi fraudem affirmantibus impositam.* Porro duo sunt, in quo partes concertantes, ut plurimum hîc conveniunt. Primum est, quod licet sit extra dubium libros Origeneis fuisse corruptos, cum vix lucem aspexissent admisionibus & suppositionibus malevole depravatos in locis potissimum citatis; ut ipsemet Origenes, Pamphilus, Rufinus, &c. conqueruntur & satis demonstrant: at tamen quoscunque errores, qui in Libris illis sparsim reperiuntur ex suppositiis, interjectis & perversè assutis periodis provenire nemo cum Jacobo Merlino in *Apol. pro Orig. probl. 2. propos. art. 1.* facile admittet. Nihilominus S. Hieronymus ut nimis in hujus asserti refutatione videri possit, dum ita argumentatur. *Si omnia, quæ in libris reperiuntur non erant Origeneis, quia hæretica: sed hæreticorum (omnes autem propemodum illius tomi his erroribus pleni sunt) nihil Origeneis erit: sed eorum, quorum ignoramus vocabula.* Deinde *Lib. 2. in Rufinum* dicitur totus est, ut ostendat non bene legi Origenem ab eis, qui obtendebant corrupta esse ejus opera, atque hæreticis suppositionibus depravata, asserit, fabulas esse, quæ de adulteratis antiquorum Scriptis per hæreticos circumferuntur. Et licet hoc ipsum non de omnibus in universum Patrum Scriptis: sed de iis, de quibus ibi disseruit Clementis Romani



mani & Alexandrin intelligi voluisset, haud tamen subsisteret. Siquidem ipsum Clementem Romanum de hujusmodi vitiosis mixturis, quibus haereticus illius Scripta corruerant, expostulasse Athor est Epiphanius *haes. 30.* Idem videre est apud Photium *Cod. 112.* qui similia de Clementis Alexandrini scæda deformatione præmiserat *Cod. 109.* Quod idem etli de Origenis lucubrationibus concedendum sit: non tamen cotusque, ut earum adulteratio sit cunctorum errorum, Origeni attributorum, ratio; & quasi nullus ex omnibus istis Origeni, sive dogmatizanti, sive disputanti appropriari possit; quemadmodum Rufinus in *Apolog. Haymon. Lib. de Christi: rerum memor.* Picas Mirandolanus, Sixtus Senensis, Genebrardus, Merlin. &c. &c. perperam sustinere volunt: quandoquidem non solum Hieronymus, à Gelasio Pontifice probatus, sed & alii quoque sagacissimi Critici cum Vincentio Lytin. *de haes. cap. 23.* ea deprehendunt ab Origene Scripta, quæ ab errore excusari nequeunt. De quo Ribera in *Præf. ad mala*: copiosè tractat. Cùmque citatus Merlinus in hunc licentissimè debacchatus fuerit, prodit se in eo, ut in aliis quibusdam, ultra sobrietatem sapere.

Alterum, quod de Origene passim etiam ab æmalis, licet non à cunctis, admittitur, est, quod haereticus non fuerit; neque talis dici possit, etiamsi in illius Scriptis reperiantur errores, ut ipse Baronius, quanquam aliàs Origeni infestus: *tom. 2. an. ad Ann. Chris. 232.* faetur. Cùm enim ex communi omnium Theologorum sententia, æquè ac Veterum testimoniis certum sit, quod hæresis esse nequeat, ubi non adest pertinacia, ut ex Augustino refertur *24. Q. 3. cap. Dixit Apostolus. & cap. Qui in Ecclesia.* Nemo autem hucusque evicerit Origenem, si quid minus consentaneum Catholicæ doctrinæ scripserit, postquam fuit admonitus, in illius defensione pertinaciter

hæsisse; nota hæreseos ei nequaquam iniuri poterit, qui omnium hæresum debellator & Perioderates dictus fuit, ut refert Amobius; vel quisquis est Author sancti Augustini temporibus vicinus in *Epist. haes.* edita à Jacobo Sjrmondo: quique scripsit Fabiano Rom. Pontifici aliisque permultis Ecclesiarum Episcopis de sua recta, & orthodoxa fide, ut Eusebius prodit *Lib. 6. H. E. cap. 29.* atque errorum in libris, præpropeta Ambrosii evulgatione non correctis, repletorum se pœnitere profiteretur, teste Hieronymo in *Epist. cit.* Quamvis itaque Origenes severissimè à multis Paribus habitus fuerit & acutissimis verborum jaculis ab iis confossus sit, exigente id negotiorum gravitate; fuisse tamen formalem hæreticum non convincitur, inquit eruditissimus, & si quis alius in Læctione Patrum versatissimus Theophilus Raynaudus *Erotem. 9. partit. 1. num. 155.* Hæc opinio de Origene in Historia Ecclesiastica Naralis Alexandri, à Religiosis Censoribus Romanis confixa quidem fuit: perstitit tamen Author in editione altera eam propugnare, eo quod Origenes erroribus ab Ecclesia damnatis, non inhæserit, neque à sensu Catholicæ Ecclesiæ admonitus sese alienaverit. Profectò animum ab hæresi alienum *homil. 16. in Luc.* his verbis expressit: *Ego vero opto esse Ecclesiasticus, & non ab hæresiarcha quodam: sed Christi vocabulo nuncupari: & habere nomen, quod benedicitur super terram: & cupio tam opere quam secta esse & dici Christianus.* Quod verò Theophilus Alexandrinus furioso quodam cæstro concitatus in suis maledicentissimis Epistolis despumans confusiones suas contra Origenem velut omnium hæresum Hydram copiosè effuderit, nequaquam viri nomen obfuscat, nec, si qui alii fellix mentis sua mordenti impetigine aut ex inscitia illum inter hæreticos recenscant, eo ipso hæreticus habendus erit. Epiphanius Origenem durius perstrinxit ea tempestate, quando S.



Hieronymus & Rufinus sese invicem usque ad consumptionem Scriptis Amœbæis (S. Augustino nequidquam tentante concordiam) imperebant, occasione Scriptorum ab Origene. Non desunt interim, qui ob rationes non contemnendas arbitrantur, libellos sex Epiphani, ubi Origenes inter hæreticos recensetur, à quopiam è discipulis interpolatos: quia S. Augustinus in *Prefat. Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum* refert Epiphanium paulò antea obiisse mortem, priusquam sex libros scripsisset. Breves etiam in unum compactos, suis, vel aliorum libris non comparandos, nulla disputatione adversus falsitatem pro veritate decertans. Quia vero libri Epiphani sunt criticis, qui nunc extant, continentque disputationes multas & prolixas, imo vanas & supervacaneas: hinc critici inferunt, varia inepta fuisse infarta; ac tale demum opus effectum, quale nunc est, multis abundans, etiam contra Historiæ veritatem, erratis, & plurimis passim turgens maledictis. Scientissimus Petavius quidem opinatur, luculentum Epiphani opus ab Augustino lectum non fuisse; quod quidem alii libenter admittunt; quia non extitit; illud tamen quod tunc extabat, Augustinus legit; qui in *cit. prefat.* inde quædam desumpsit. Ut ut sit; nullus alius antiquissimorum hæreseologorum Origenem suo inseruit Catalogo, non Philastrius Brixientis Episcopus Epiphanio coævus, non Theodoretus eruditione, rerum notitia & iudicio pollens, non item alii, qui mediis sæculis floruerunt, aut Origenis hæretici aut Origenistarum meminerunt. Si qui recentiorum ipsam hæreticorum syllabo inseruerint, nulla habenda horum ratio.

Hæc aliaque Origenis partiarum in illius propugnationem atque obstantium Argumentorum solutionem reponunt. Quanti sint ponderis aquæ lanci libranda committuntur. Ab his aliisque difficultatibus hic occurrentibus facilè sese expedire posse pu-

tant; qui ex Epiphanio, Augustino & quibusdam antiquis constituunt duos Origenes, quorum opinionem amplectuntur Valesius, Fagius, &c. Voluntque quod unus fuerit æqualis Porphyrio, ut in *vita* meminit Eusebii, Adamantio Origeni ferè Synchronus. Hoc tamen Baronius ad *An. Christ.* 256. existimat commentum, nec nisi unicum Origenem vult existisse. Idem sentiunt Halloix & plerique recentiorum, qui negant apud præfatos Patres aliosve veteres alterius mentionem fieri.

Supereffe videtur unicum adhuc de Origene inquirendum, de quo inter aliquos controversitur. An scilicet æternum salutaris sit. Quod licet humanis profusè sit obsecurum mentibus, atque planè incognitum, proinde illud in examen adducere frivolum & quidpiam certi statuere temerarium; eo quod longè alia sint iudicia Dei, quàm hominum: Nihilominus tamen de vita & morte huius viri ita differere; ut inde post fata de ejus salute aut de infelicitate prudens opinio formari possit, innoxium esse plerique reputant.

Sunt, qui illius damnationem adstruant, inter quos citatus supra Collius *cap. 17.* declamatoriè magis, quàm nervosè suam hæc de Origene opinionem seu assertionem, quam arbitratur verissimam, & tantum non fidei, stabilire volens argumentis sequentibus.

I. Origenes adhuc vivens ob blasphemias suaque demerita à Demetrio, ut Baronius ad *an. Christ.* 248. testatur, nec non ab Hæraclæ Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopis è certi fidelis populi per censuras Ecclesiasticas amandatus fuit, ut in expositione Synodalis Epistolæ Episcoporum Ægypti & Alexandriæ habetur. Probabiliter quoque fuit simili excommunicationis fulmine percussus, quod et Epiphanio, cæterisque, id prodentibus, conjici potest.



Præterea divinæ obnoxium indignationi declaratum Origenem ab Anastasio Summo Pontifice & Generali Synodo constat ex Theophilo Alexandrino & S. Hieronymo. Quæ autem species de æterna illius salute relinquitur, qui vivus & mortuus diro anathematis fulmine est percussus; qui tantâ insaniam deliravit, ut nec divino Numini parceret, tot blasphemias in Trinitatem arcuato vulnere jaculatus? Enimvero sempiternum hujus miserrimi interitum usque adeo clarè ingerunt adducta hæcenus testimonia, ut nequeat sine flagitio in dubium revocari. Ita Collius. l. c.

II. Ex revelatione divinitus facta certum est Origenem flammis æternis addictum. Refertur namque à Joanne Moscho in *prat. Spirit. cap. 26.* quod Theophanes circa horam nonam à viro quodam terribilis aspectus fuerit in infernum deductus, in quo illi ostenderit Nestorium, Eutychem hæresarchas, & hos inter Origenem, &c. Est autem præter spirituale tantæ authoritatis, ut à Synodo VII. Generali in testimonium veritatis fuerit adductum. Laudatur quoque à Joanne Damasceno *Orat. 1. de imagin.* sub Sophronii Archi-Episcopi Hierosol. nomine, quod ab eodem Joanne Moscho illi fuerit dedicatum. Esto autem, perorat citatus Doctor Ambrosianus, expressis Conciliorum verbis non habeatur Origenis animam æternis esse addictam supplicii; esto etiam asserta hæc à Synodo veritas non sit fidei præcepto, sed piè duntaxat fidelibus credendum; cum ad fidei substantiam non pertineat: quis tamen à temeritatis nota poterit eum vindicare, qui contumax fuerit in fide præstanda, citatus à Conciliis & sanctorum Patrum sanctionibus, qui, dum vivum & mortuum Origenem anathemate feriunt; eum sine dubio dæmonis mancipium declarant.

Quod si catacrisin hanc legisset P. Halloix, quæ annis circiter quindecim ante suam

evulgata fuit Apologiam; haud dubium, quin casum & punctum petiisset Authorem, actiusque calami sui culpidem strinxisset in eum, quam iste in Origenem: quod virum ejus felix memoria, atque inter doctos celebris existimatio propter confessam ejus eminentem sanctimoniam, quam prospero cursu perennavit, temerario ausu demonibus lociare veritus non fuerit: atque ob argumenta stupea ejusdem æternam damnationem aliis ita persuadere, ut de hac dubitare nefas voluerit.

Planè etiam de Origene illo ejus hyperapistes vult in Lectoris mente figere ideam; dum postremum vitæ conscriptæ caput sic orditur. Divinæ proprium est benignitatis & misericordiæ, ut quos in florenti ævo magnis & frequentibus tenuit exercitatos laboribus, eos metæ jam appropinquantibus, ac morti vicinos minimè derelinquat; necdum illos, qui ejus defensione honoris & pro recta assertione fidei suis periculis atque tormentis non semel; sed sæpius ultro liberèque objecerunt. Tales enim in suo vitæ exitu, & cum robur defecerit, ope divina destitui, & expectatâ regni cœlestis gloriâ defraudari, & dicere nefarium est, & cogitare impium. Ad illos enim potissimum, si ad quem alium, censenda sunt pertinere illa Pauli Apostoli verba, quibus suos alloquebatur Corinthios. Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.

Hoc pronuntiato, tanquam certo supposito, ex vitæ Origenis descriptione subjungit, quod is à primo adolescentiæ suæ flore ad bella Domini prælianda inunctus, & continuis exinde laboribus, vigiliis, sudoribus, certaminibus proximè à morte abfuerit pro Dei Ecclesia conflictatus, cui divina gratia & cœlestis favor semper comes adfuit.

Sub-



Subinfert ergo. Dubitari nequaquam potest, certè non debet, quin Deus felici demum morte Origenem beatit.

Credet hinc fortè aliquis Origeni solemnem duntaxat deesse Apoltheosin, quominus sacris diptychis nomen ejus interatur. Quod tamen, si Collio credimus, ex citata Epistola referenti, ita execrabile & Patribus inuisum fuit, ut nemo ad dignitates Ecclesiasticas, nisi abjurato Origene, admitteretur.

Hoc minimè obstante, censet equidem Halloix *Lib. 4. cap. ult.* Se tam ex Patribus, quàm ex propriis Scriptis Origenis certa argumenta promississe, quæ certam ejus salutem evincant. Verùm quia certitudo illa ex infallibili Ecclesiæ autoritate non provenit, quisquis fateri debet, quod hinc maneat formido de opposito, præsertim cum Authoris ratiocinatio non sit ex genere demonstrativo. Sunt nihilominus nonnulli, qui persuasum habent, quod ipse probare nititur, scilicet tres aureolas, sive laureolas virginittatis, martyrii & doctoratus, quas paucissimi in cælis affecti sunt, Origeni obvenisse; juxta illud,

*Laureolam virgo, martyr, fideique magister  
Præter communem dicuntur habere coronam.*

Interim si extra omnimodam formidinem Origenis perfecta beatitudo, quæ sine hac accidentaria, in sola Numinis visione consistit, credi non poterit; fortè probabilior videbitur, quando in contrarium obstantia ita elewantur.

Ad Primum Responderetur. Odium, ira, inimicitia mentis oculos fascinant perspicaciam ingenii; quod est, ipsimum judicium derrepente hebetant & obscurant. Judicium obruunt, omnes impetus inconsulti, rapidi, ignei omnes fervores, omnes furores; nulla præcipua studia judicium admittere potest,

Cùmque suis sæpè indulgeant homines affectibus, plura judicant, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut aliqua permotione mentis, quàm veritate, ut perquam bene observavit Tullius. *2. de Orat.* Quando igitur in causa heteromolia, seu quæ ab altera duntaxat agitur parte, Demetrius se judicem constituit, qui, perhibente Hieronymo *de Script. Eccles. cap. 54.* magnâ in Origenem debacchatur insaniâ sententiamque excommunicationis tulit, convertit in amaritudinem judicium & fructum justitiæ in abyssinthium; ut est apud Amos *cap. 6.* Qui sub prætextu errorum in libris repertorum; revera autem ex concepto in Origenem odio, propter receptum alibi presbyteratum, ipsum, quem aliàs impensè coluerat, persecutor destitit, & animi levitate, quæ inimica est judicii integritati, inauditum condemnavit; quod, sicut divina, naturali, scriptaque repugnat legi, ita damnato innocenti minimè nocet: quemadmodum S. Basilius *Epist. 77. ad Damasum & Episcopos transmarinos* egregie demonstrat. Nòrunt sensati cælestia à Claudiânis Tonitinis, & à Jove Salmonæa discernere. Profectò fulgur expelvi (ut Diogenianus vocat inane terriculamentum) imperterritum non prostravit Origenem, quando in Epistola, quæ apud Hieronymum extrat, & partim ab hoc refertur, sese fortiter defendit; ac de nimia quorundam credulitate erga difamantem Demetrium protestatus fuit. Eundem etiam truci sunt S. Alexander Episcopus Hierosol. & martyr inclytus, Theoctistus Episcopus Cæsariensis in Palæstina, probè scientes, quod ex invidia & odio Vatiniâno lata censura processerit; quibus utique fides potius adhibenda quàm Baronio, qui, *loc. cit.* nullo adducto testimonio scribit, Origenem meruisse, ob inventas in ejus Scriptis hæreses, à Demetrio excommunicari: id, quod aperte falsum censet Halloix *in not. ad vitam cap. 22. lit. E.* Sicut & illud, quod Demetrii successor Dionysius ipsum Origenem, qui jam



ita Scripta ; multis erroribus adspersa evulgasset, ceperit acriter impugnare, & in multis hæreses accusare: quandoquidem in omnibus sancti Dionysii Scriptis, quæ extant, & Halloix haud indiligenter, ut profiteretur, legit, nullum, ipso attestante, talis rei appareat vestigium. Quin Dionysius ipse, discipulus quoddam Origenis hunc non solum in veneratione habuit in vita, eique de martyrio librum dedicavit; sed referente Stephano Gobaro apud Phorium *Cod. 232.* post mortem laudavit in Epistola Scripta ad Theodisum Episcopum Cæsar: Multum præterea huc contulit Theophili & Epiphaniæ silentium de hac Origenis damnatione, quorum tamen, ut adversariorum, plurimum intererat, hæc non silere. Itaque excommunicatio illa, vel hostium iudicio, inefficax fuit; quando noverant omnes Palæstinæ, Arabiæ, Phœnicis Achaïæ aliarumque Provinciarum Episcopos liberè cum Origene communicare: quando videbant tam insignes Origenis æstimatores, S. Basilium Magnum, S. Gregorium Nazianzenum, S. Chrysostomum, S. Ambrosium, S. Victorinum Episcopum & Martyrem Pictav. S. Hilarium Episcop. Pictav. Eusebium Vercellensem, aliosque viros Sanctissimos & perspicacissimos erga Origenis Scripta mirè affectos. Ipsemet Hieronymus in *proæmio sup. Genes. in trad. Hebr.* optabat cum invidia nominis ejus habere Origenis scientiam Scripturarum, flocci pendens imagines umbrasque larvarum; quarum natura esse dicitur terrere parvulos: quod sanè non scripsisset, si Origenem hæreticum aut ab Ecclesia damnatum censuisset.

Porro, quod ab Hærcle Demetrii successore Origenes fuerit excommunicatus, ipso Baronio concedente falsum esse liquet, qui loc. cit. scribit Hærclem in omnibus Origeni favisse: proinde illum immerito à prædecessore excommunicatum voluisse.

Quod de præsumpta excommunicationis

censura ob lapsum adducitur; quia ex antedictis satis constat, hypothèsin falsam, aut saltem valde dubiam esse, se ipso ruit; Epiphanius assente (si tamen Author est) hæc ex falsa protulisse relatione. Quod passim creditur de vibrata in Origenem à Pontifice & Generali Concilio excommunicatione, ex corruptis actis Concilii Constantinop. provenit, quod virum hunc non damnasse cum cæteris nominatis hæreticis, supra habetur. Neque in ipso anathematismo, qui Græcè extat, neque in tomo Conciliorum Græco-Latinorum Origenis nomen reperitur; sed eorum tantum, qui fuerunt quatuor Conciliis Generalibus proscripti. Cùmque Synodus VI. ex actis corruptis Synodi præcedentis tracta fuerit in errorem, facile post se traxit subsequenter.

Ad Secundum Responderetur. Cum Theophilus Alexandrinus sibi finxerit ex summa amentia ac iracundia (iratus nil nisi crimina loquitur, ait Seneca in *Thyeste*) Origenem esse in inferno; optassetque, ut ejus fautores illo quoque vivi descenderent, ac damnarentur: multorum conjectura est, quod post annos 300. ab Origenis obitu, fabula, de illo in flammis infernalibus viso, orta fuerit, quæ demum in literas missa, nullam aliam fidem meretur, quàm, quæ alicujus vagabundi Monachi somnia, seu phantasmata enarrata haberi debent. Et quomodo hujuscemodi visio conciliari poterit cum illa, quæ in vita S. Mechthildis legitur, scilicet Deum huic revelasse, se nolle, ut quisquam sciat, quò anima Origenis devenerit, ad incutiendum terrorem fortissimis sapientissimis & doctissimis, ut hi quoque in incertitudine hæreant. Nec majorem Moscho conciliat libri à Synodo citati autoritas: quia hoc ipso neque approbatur totus liber, & quidquid in eo promiscuè reperitur: sed illa solum à Synodo proferuntur. Secus enim & Socratis, qui Origeni favet, historia Ecclesiastica, ab eodem Concilio citata, esset tota approbata, quod nemo unquam

Hh

quam



quam admittit. Suos haud quaquam fundat Ecclesia Canones super visione alicujus Eremitæ, quæ docet particulares revelationes non cadere sub objecto fidei. Quantumcunque ergo Moschus, vel alius quispiam plausibilibus absque productione Authoris hanc fabulam producat narratiunculis, nullam apud prudentes fidem obtinebit: quin potius prævalebit magni viri, miraculorum gloriâ celeberrimi Theotimi Episcopi in Schytia pia sententia. qui, cum frustra ad condemnationem Origenis sollicitaretur, Epiphano candidè respondit, se censere eundem Doctorem præclarè obiisse in Domino.

Joannes Picus Mirandolanus Comes, miraculum eruditionis, in fine Sæculi decimi quinti anno ætatis vigesimo quarto publicavit noncentas propositiones Romæ publicè defendendas. Inter has legitur & ista. *Rationi magis consonum est credere Origenem salvatum, quam damnatum.* Quam quidem propositionem Magistri in Theologia censurârunt temerariam, reprehensibilem, hæresin sapientem, & determinationi Ecclesiæ universalis contrariam, quemadmodum ipse Author refert in sua Apologia cap. 7. Sed in præfat. cit. Apolog. scribit. *Summi Pontificis & Apostolico Senatu, complurium judicio consentus videbar facile & odium posse negligere & convicia hominum improborum. Nihilominus & hanc & alias egregiè defendit. Rara temporum ea est felicitas, ubi sentire, que volis, & qua sentias, dicere licet,* rectè scribit Tacitus lib. 1. histor. Edidit quoque Stephanus Binetus Soc. Jesu Parisiis anno 1629. librum de salute Origenis, in quo litigium desuper instituit. In testes Jacobus Merlinus atque Erasmus Roterodamus adsciscuntur, patrocinantur Jo. Picus Mirandolanus & Gisbertus Genebrardus.

Demum sententia interlocutoria, ut vocatur, profertur, quod licet Divino tribunali sententia definitiva deferenda sit, omnibus tamen bene perpensis argumenta pro salute

Origenis sint magis convincentia, proinde que probabilius sustineri possit animam ejus potius salvatam, quam damnatam.

Hæ sunt recentiorum Scriptorum de Origene dissertationes ex prolixis veterum correctæ velitationibus. Exinde videre licet aptissimè quadrare in nostra tempora, quod de suis conquestus fuit Tertullianus lib. de anim. cap. 2. nimirum quod latè quærentes incerta, latius disputentur præsumpta: & quanta est probandi difficultas, tanta est oporosititas suadendi: cum tamen Christianis in paucis ad scientiam opus. Quod si rectè conveniat rationi studium, dum in intricata ista utilisque inquisitio in viri literati, ambigua fama laborantis, vitam & orthodoxiam: quia pertinet ad nos scire, qualis demum sit docentis autoritas; non poterit non esse perniciofa curiositas, impertinenti indagatone scrutari ea, quæ de eodem nescire minime nocet: imo verò noxium erit irritò conatū investigare illa, quæ ex abscondito Numini judicio homini post mortem obvenirent. Unde rectè S. Augustinus lib. de util. creden. ad Honorat. contra Manich. cap. 9. *Inter curiosum & studiosum id interest, quod curiosus ea requirit, qua scire nihil ad se attinent, studiosus contra ea, qua ad se attinent, requirit ad animum nutriendum.* Ut ergo ordinata diligentia ad cognoscendum res proficua commendanda: ita obstrusa rimari Dei opera; & ut Horatius loquitur, digitis hæc mutiri profus temerarium est.

*Nam & certa semper in paucis, & amplius illis quærere non licet, quàm quod invenire licet.* Epiph. lib. de hæres. 64.